



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Pincipium 10. Non requiritur alia probatio, quando præcedit propria
Confesso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

tum quia Respublica habet potestatem in bona suorum civium, quando bonum publicum id requirit.

PRINCIPIUM X.

Non requiritur alia probatio, quando praedit propria confessio.

Sensus.

Hoc est, cum quis in iudicio crimen suum ultro & sponte fatetur, non est necesse, ut Iudex ulteriorem probationem exigat, sed potest mox ad sententiam ferendam procedere.

Authoritas.

Desumptum est ex le. unic. C. de Confessis, ubi dicitur: Confessio propria facit plenam probationem, in praesentium confitentis.

Ratio.

Quia, cum nemo censeatur sponte sibi injuriam factam velle, merito etiam nefas est in dubium revocare propriam confessionem; hinc ista excellentior omni probatione, & maius probationum illustrissima, & Regina vocatur à Melechchio, & aliis, teste P. Gobat acc. canon. tr. 5. c. 30. 4. & 199.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Si Reus extra torturam, crimen ultro confiteatur, non esse ulteriora criminis commissi & confitentis indicia inquirenda, uti communis sensus Doctorum & praesentis Tribunalium confirmat.

Deducitur 2. Confessarium, licet vix credere possit, crimen aliquod vel plura à Poenitente fuisse commissi, tamen credere ipsi debere, si illa confiteatur, uti iterum communis sententia docet.

Deducitur 3. Si ex duobus complicibus unus se apud Confessarium accuset de peccato commisso, alter reticeat peccatum, confessionem propriam non esse in dubium revocandam, nec alteri etiam absolutionem negandam, uti iterum et mente Suar. Fagund. Dian. & aliorum docet Busenbaum. l. 1. tr. 4. s. 2. du. 6.